

CONRADVS DE BERENFELS CONSVL BA-
siliensis.



Conradus ex nobili familia de Berēfels natus & optimē educatus in uirū strenuū & prudētissimū euasit. Itaq; à Basiliensi senatu eius urbis cōsul electus fuit. In eo officio singulari grauitate & morum integritate conspicuus fuit. Cum aut̃ priorī tempore duo Cæsares essent electi, Ludouicus Bauarus & Fridericus Austriacus, Basilienses Ludouicum receperunt, & ei fidem dederunt. Quāquam etiam postea pontifex Ludouicū Cæsarem schismaticum pronunciaret, atq; omnes principes & ciuitates ei adhærentes excommunicaret, tamē Basilienses in data fide constanter perseuerarunt. Cum autem anno 1347 Ludouico mortuo Carolus

quartus in eius locum Cæsar electus esset, & sequente statim anno Basileam ueniret, episcopo Bambergensi legato pontificis (qui Basilienses excommunicatos certis conditionibus absolvere uolebat) comitatus, senatus eos intra urbē recipere noluit, nisi conditionibus illis manifestatis absoluerentur.